

Rumors of War in Cicero's *De Imperio Cn. Pompei* and *Pro Rege Deiotaro*

CAMWS 2018

Doug Clapp, Samford University
dcclapp@samford.edu

1. *Man. 14-16*

[14] Asia vero tam opima est ac fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere voltis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defenda.

[15] Nam in ceteris rebus cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse adfert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si inruptio nulla facta est, tamen pecuaria relinquitur, agri cultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest: **qua re saepe totius anni fructus uno rumore periculi atque uno belli terrore amittitur.**

[16] Quo tandem igitur animo esse existimatis aut eos qui vectigalia nobis pensitant, aut eos qui exercent atque exigunt, cum duo reges cum maximis copiis propter adsint? cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in saltibus habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos qui vobis fructui sunt conservaritis non solum (ut ante dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

2. *Man. 25*

[25] Sinite hoc loco, Quirites, sicut poetae solent, qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, **quae tanta fuit, ut eam ad auris**

Luculli imperatoris non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor adferret.

3. *Man. 43-46*

Et quoniam auctoritas quoque in bellis administrandis multum atque in imperio militari valet, certe nemini dubium est quin ea re idem ille imperator plurimum possit. **Vehementer autem pertinere ad bella administranda quid hostes, quid socii de imperatoribus nostris existiment, quis ignorat, cum sciamus homines in tantis rebus, ut aut contemnant aut metuant aut oderint aut ament, opinione non minus et fama quam aliqua ratione certa commoveri?** Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestae pares? de quo homine vos,—id quod maxime facit auctoritatem,—tanta et tam praeclara iudicia fecistis?

[44] An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, **qua non illius diei fama pervaserit**, cum universus populus Romanus, referto foro completisque omnibus templis ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depositit? Itaque—ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem quantum [huius] auctoritas valeat in bello—ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur: qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est unius hominis spe ac nomine, quantum vix in summa ubertate agrorum diurna pax efficere potuisset.

[45] Iam accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paulo ante invitus admonui,—cum socii pertimuisserint, hostium opes animique crevissent, satis firmum praesidium provincia non haberet,—amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad ipsum discrimin eius temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas

regiones fortuna populi Romani attulisset. Huius adventus et Mithridatem insolita inflammatum Victoria continuit, et Tigranem magnis copiis minitatem Asiae retardavit. Et quisquam dubitabit quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perficerit? aut **quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?**

[46] Age vero, illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostis populi Romani autoritatem, quod ex locis tam longinquis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dediderunt? quod a communi Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt, eique se omnis Cretensium civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit? eum quem Pompeius legatum semper iudicavit, ei quibus erat [semper] molestum ad eum potissimum esse missum, speculatorum quam legatum iudicari maluerunt. Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea rebus gestis magnisque vestris iudiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteris nationes valituram esse existimetis.

4. *Deiot. 11*

[11] cum **audiret** senatus consentientis auctoritate arma sumpta, consulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rem publicam defendendam datam, movebatur animo et vir huic imperio amicissimus de salute populi Romani extimescebat, in qua etiam suam esse inclusam videbat: in summo tamen timore quiescendum esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut **audivit**, consules ex Italia profugisse omnisque consularis—sic enim ei **nuntiabatur**,—cunctum senatum, totam Italiam effusam: **talibus enim nuntiis et rumoribus patebat ad orientem via nec ulli veri subsequebantur**. Nihil ille de condicionibus tuis, nihil de studio concordiae et pacis, nihil de conspiratione **audiebat** certorum hominum contra dignitatem tuam. Quae cum ita

essent, tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompeio ad eum **legati litteraeque venerunt**.

5. *Deiot. 25*

[25] Secutum est bellum Africanum: **graves de te rumores**, qui etiam furiosum illum Caecilium excitaverunt. Quo tum rex animo fuit? Qui auctionatus sit seseque spoliare maluerit quam tibi pecuniam non subministrare. "At eo" inquit "tempore ipso Nicaeam Ephesumque mittebat **qui rumores Africanos exciperent et celeriter ad se referrent**: itaque cum esset **ei nuntiatum Domitium naufragio perisse, te in castello circumsederi**, de Domitio dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum: *pereant amici, dum inimici una intercidant.*"

6. *Deiot. 33*

[33] At quam acute conlecta crimina! "Blesamius" inquit—eius enim nomine, optimi viri nec tibi ignoti, male dicebat tibi—"ad regem scribere solebat te in invidia esse, tyrannum existimari, statua inter reges posita animos hominum vehementer offensos, plaudi tibi non solere." **Nonne intellegis, Caesar, ex urbanis malevolorum sermunculis haec ab istis esse conlecta?** Blesamius tyrannum Caesarem scribebat?

7. Allport and Postman 1946: 502

$$R \sim i \times a$$

Select Bibliography

- Allport, Gordon W. and Leo Postman. "An Analysis of Rumor." *The Public Opinion Quarterly* 10.4 (1946) 501–17.
- Gotoff, Harold C. "Cicero's Caesarian Orations." In *Brill's Companion to Cicero*, 219–71. Ed. J. May. Brill 2002.
- Gotoff, Harold C.. *Cicero's Caesarian speeches: a stylistic commentary*. University of North Carolina Press 1993.
- Jonkers, Engbert Jan. *Social and Economic Commentary on Cicero's De Imperio Cn. Pompei*. Brill 1959.
- Steel, C. E. W. *Cicero, Rhetoric, and Empire*. Oxford University Press 2001.